



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac
publicis Ecclesiae de causis in ...**

Coloniae Agrippinae, 1640

De alijs Orationibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-9480

DE ALIIS ORATIONIBUS,

Consuevit nonnunquam ratione festi alicuius Ecclesiæ vel Religiosi Ordinis, aut etiam ob aliquam priuatam probatam tamen & laudabilem deuotionẽ Venerab. Sacramentum mane, vel tantũ ante summum Sacrum exponi, & post illud, vel post Vesperas statim reponi & recludi, nullo certo horarum numero seruato, sed tantum habita ratione Sacri vel Vesperarum; & tunc in expositione, Processione, si habeatur, & repositione omnia ea fiant, quæ supra annotata sunt tam circa preces 40. & 10. horarum, quam circa Missam seruandam coram Venerabili Sacramento.

Aduertendum tamen est, ne sanctissimum Sacramentum sine decenti ornatu, luminibus sufficientibus, & in Altari vel loco minus conuenienti, vbi periculum alicuius irreuerentiæ esse potest, relinquatur. Corporale seu palla Monstrantiæ semper sit substrata, vt iam monuimus; & velum longum eidem Tabernaculo, quod hinc inde apte cadat versus Altaris latera, & à posteriore parte Tabernaculi, seu umbellula superaddatur superimpedens. emineat quoque locus supra locum Reliquiarum forte in Altari locatarum.

Sed

Sed hic valdè notandum est, quod Nicolaus Cusanus in suis Statutis Prouincialibus Anno 1452. Colonix celebratis statuit ad maiorem honorem Sanctissimi Sacramenti, vt deinceps ipsum SS. Sacramentum nullatenus visibiliter in quibuscunque Monstrantijs ponatur aut deferatur nisi in Festo sanctissimi Corporis Christi cum suis Octauis, & extra huiusmodi festa cum suis Octauis semel in anno, in qualibet ciuitate aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarij, aut aliàs pro pace vel alia necessitate imminente, ex indispositione Rempublicam prægrauante: & tunc cum summa reuerentia atque deuotione.

F I N I S.



